



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 37. Concilii continuatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](#)

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

§. XXXVII.

Concilii continuatio.

Die Jovis 27 Aprilis vesperi Imperator & Patriarcha miserunt, qui Nuncios orarent, ut postridie adirent palatium. Hi proin die Veneris mane congregato concilio intererant. Patriarcha inita cum Imperatore ac Præsulibus consultatione ad Nuncios dixit: *Respondebimus ad quæstionem vestram.* Tum Archiepiscopus Amastrensis ita orsus: *Vos queritis, an ad Sacramentum Altaris conficiendum panis azymus adhiberi possit? nos negamus.* Et rogantibus illis, an de jure, aut vero absolute id fieri nequeat? respondit: *Absolute.* *Scimus enim, Christum pane fermentato usum esse, ac uti jussisse Apostolos.*

Quam in rem locum S. Pauli ad Corin-
thios adducebat, addens: *S. Petrus, cæ-
terique Apostoli, sicut id a Christo didicerant,
ita quatuor Ecclesias Patriarchales id do-
cuerunt, S. Jacobus Hierosolymitanam,
S. Joannes Asiaticas, S. Andreas Achaicas,
S. Petrus Antiochenam, & Romæ S. Cle-
mentem: nec aliter in Ecclesia Romana pri-
mo factum credimus. Hinc solum panem
fermentatum, quo Dominus noster usus est,
adhiberi posse affeveramus.* Nuncii cum
primo Germanum Nicænum Patriarcham,
qui Constantinopolitanus vocabatur, dein

28. Apr.

Hist. Eccles. Tom. XX. N An-

Sæcul. XIII Antiochenum, ac singulos Præfules, an id
A.C. 1234. crederent interrogassent, singulis affirmantibus, idem scribi, & scriptum sibi dari volebant. Mox Patriarcha Nicænus, *Etiam vos scribete, ajebat, Spiritum Sanctum a Filio procedere, idque non credentem in via interitum esse; id scriptum nobis tradite!* Spondentibus hoc Nunciis, ut pars utraque scribendi spatium haberet, res in crastinum dilata, & confessus solutus est.

29. Apr.

Vading.

1233. n. 15.
to. XI. Conc.
p. 461.

Die Sabbathi 29 Aprilis post prandium vocatis ad concilium Nunciis utrumque scriptum exhibebatur. Græci eas solum, quæ pridie asseruerant, nempe locum S. Pauli, & putatam traditionem suam exaraverant; dicebantque: Scriptum hæc breviter sic volentibus Episcoporum Legatis, quibus plurimum verborum patientia deest. Quodsi vero authoritas & argumenta petantur, fusi e veteri ac nova legi dabimus. Adhuc mense Aprili, in aliacione septima, subscribente me Chartophylace (custode tabularii) Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, jussu Patriarchæ Universalis, & Antiocheni, cæterorumque Prelatum præsentium. Patriarcha Constantinopolitanus est, qui universalis dicitur. Hæc Græcorum fidei professio in concilio lecta, & Nunciis tradita fuit; qui viceissim suum de Processione Spiritus Sancti scriptum illis dederunt. Multo fusiusti hoc erat, & ita inchoatum: *Pater est Deus per se*

Vading. n. 6.
to. XI. conc.
p. 326.

perfectus in se ipso : Filius est Deus perse- Sæcul.XIII.
ctus a Patre genitus : Spiritus Sanctus est A. C. 1234.
Deus perfectus a Patre ac Filio procedens.
Procedit autem a Filio proxime, & a Patre
interventu Filii: nam Filius habet a Patre,
quod Spiritus Sanctus ab illo procedat.
Igitur quisquis Spiritum Sanctum a Filio
procedere non credit, in via interitus est: Pri-
ma, quam adducunt, authoritas est Sym-
boli S. Athanasio adscripti, quod eum in
Occidente exulem latine composuisse di-
cunt. Sed suo loco notavi, hoc Symbo- Sup. Lib.
lum Vigilio Thapsensi verisimilius attri- XXX.
bui. Deinde Nuncii fidei expositionem §. 8.
S. Gregorio Thaymaturgo divinitus sug-
gestam, insuper Sanctorum Gregorii Nys-
seni, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, ac Sup. Lib.
denique Cyrilli Alexandrini testimonia, VI. §. 13.
sigillatim nonum ejus duodecim anathe-
matum in Concilio Ephesino approbato-
rum afferunt. Huic fidei professioni sua Sup. Lib.
nomina subscripsere quatuor Papæ Nun- XXV. §. 22.
cii Rudolphus & Aimo Ordinis Fratrum
Minorum, Hugo ac Petrus Ordinis Præ-
dicorum. Aimo se ibi Ammonium di- App. to XI.
cit, nomen suum sermoni Græco accom- conc.p.2336.
modans, in quo id scriptum concilio da-
tum est. Nos idem in latina & græca
inabemus lingua.

N 2 §. XXXVIII.